DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

PNEUMONIA.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
PNEUMONIA:

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS *RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;*

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

DAVID THOMSON DEMPSTER,

SCOTUS;

CHIRURGUS.



Morbi non eloquentia sed remediis curantur.—Celsus.

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT JOANNES MOIR.

MDCCCXXV.

HONORABILI ADMODUM VIRO

THOMAE ERSKINE COMITI DE KELLIE,

VICECOMITI DE FENTON:

SCOTIAEQUE PRIMO:

BARONI DE PITTENWEEM,

K. G. V.

COMITATUS FIFAE PROREGI MILITARI,

MILITIAE FIFANAE TRIBUNO:

EX PRIMORIBUS SCOTIAE IN SENATUM ELECTO;

&c. &c. &c.

PATRICIO

HAUD MAGIS OB MERITA IN PATRIAM

QUAM VIRTUTES PRIVATAS

INSIGNI;

HANC DISSERTATIONEM

SUMMA REVERENTIA

INSCRIBIT

AUCTOR.

To Dr Woodforde
with the compliments
of the Author

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

P N E U M O N I A.

AUCTORE D. T. DEMPSTER.

PROŒMIUM.

Morbus, de quo paginis sequentibus, verba facienda sunt, tam crebro videtur, et tam frequenter lethalis fit, ut attentionem medicorum, a priscis temporibus, sibi jure vindicaverit. In commentariis medicinae antiquissimis, Pneumoniam relatam esse, invenimus, et Nosologi secundum partem pulmonis affectam, eam in duas species distrahunt, quarum una membrana pulmonum occupans, *pleuritis*; altera substantiam parenchymatosam *peripneumonia* nuncupatur.

A

DEFINITIO MORBI.

Culleno Nosologorum omnium facilè principi, Pneumoniam verbis sequentibus definire placuit: "*Pyrexia, dolor in quadam thoracis* "*parte*; *respiratio difficilis*; *tussis*."

Quamvis haec definitio morbi in brevibus et perspicuis verbis concepta sit, tamen non licet illam expectare ordinem ac in definitione memoratur, eundem semper sequi.

HISTORIA MORBI.

Initium hujus affectûs saepe est fallacissimum. Aeger primò sensum stricturae in thorace cum leni tusse, et dyspnoeâ, sed aliquando cum languore, lassitudine, rigoribus, et aliis febris signis, sentit.

Saepe subito advenit. In paucis exemplis, pulsus non sit frequentior, nec calor corporis praeter naturam auctus, tamen haud infrequen-

ter, paucis horis ante alia symptomata ingravescentia, et praesertim dolorem expertum, formatus est. Dolor in hoc morbo, diversis exemplis, in variis partibus thoracis, sed frequentissime in altero tantum latere sentitur, aliquando sub sternum, aliquando dorsum inter scapulas occupat; et cum in lateribus situs, est altior vel inferior; anterior vel posterior; sed locus prae aliis saepissime affectus, est circa mediam sextae et septimae costae partem.

Dolor nunc maxime gravis est et pungens, nunc hebes et obtusus, cum sensu gravedinis, potius quam doloris, raro uni loco defixus manet, sed nunc ad humeros, claviculas, dorsum et alias partes thoracis transit. Calor corporis auctus reperitur, cutis invadente morbo ferè semper sicca et arida est; pulsus plerumque frequens, plenus, validus, durus, et celer existit, sed paucis exemplis, imprimis in stadio provecto, piger, oppressus, et intermittens evenit. Tussis plus minusve urgens vel dolens, morbum semper comitatur, haec tussis nonnunquam ab initio humida est, et sputa haud

parum diversa prodeunt, modo spissa et purulenta, modo tenuiora et viscida saepe sanguine tincta excernantur.

Accedit semper spirandi difficultas, maximè sub inspirationem molesta. Facies, oculi, et fauces, rubore suffusi sunt, summa anxietas, nausea, et capitis dolor saepe superveniunt, et alvus fere compressa manet, etsi nonnulla exempla dantur, in quibus, alvus ab initio fusa erat; et urinae quoque facies et copia prorsus variant.

Morbo ingravescente, respiratio valde anxia et laboriosa evadit, dolor acutus interdum ex uno latere ad alterum transvolitat, vel utrumque latus simul occupat. Summa corporis jactatio et vigilia perpetua aegrum assiduè fatigant, vel si, in somnum fortè delapsus; insomniis horrendis ita vexatur, ut ex eo nullatenùs refectus exsurgat, omnia febris symptomata ingravescunt; et vires aegri valde debilitantur. Oculorum vasa fiunt turgida; facies tumet, labia et gingivae livescunt.

Sanguinis venaesectione detracti facies multum variare solet, color haud raro nigrescit, praesertim si valdè urgeat dyspnoea ; plerumque sanguis frigefactus superficiem coriaceam vel inflammatoriam ostendit, quae, etsi venaesectione primâ haud comparuerit, saepe iteratâ observari potest. Symptomata jam narrata ad finem usque diei secundi perstant, pyrexiâ, ut mos est, sub noctem ingravescente, aliquando mala insigni modo imminuuntur tertio vel quarto die ineunte, nonnunquam etiam quodammodo quiescere apparet morbus, et periculum penitùs amotum videtur; haecce remissio autem est omninò fallax, nam si remediis haud strenuè praecaveatur exacerbatio certè accidit et aeger qui mox convaliturus sperabatur, celerrimê procumbit.

DIAGNOSIS.

Pneumonia clinicum solertiorem et artis medicae peritum, vix fallere potest. Neque tamen morbi desunt, quos mirè simulat, nimirum *Catarrhum*, *Hepatitidem*, *Gastritidem*,

Pleurodyniam, Cardititem, Peripneumoniam notham, Febrem Pulmonalem, olim Pneumoniam putridam.

Catarrhus cùm mitis sit, gravitate et dolore capitis, sensu plenitudinis, et obstructione narium, oculis aquosis et inflammatis; coryza, molestia faucium, et trachaeae, facilè dignoscitur; si symptomata ingravescunt, limitem idoneum statuere fit difficillimum. Hic morbus ex negligentia vel tractatione ineptâ in Pneumoniam transiisse, haud infrequenter, observatus est.

Hepatitis, dolore dextri hypochondrii, pressurâ aucto, incapacitate recumbendi in latus sinistrum, dolore sympathetico in clavicula et summo humero dextro, flavedine tunicae adnatae, faecibus ferè albis, vomitu et singultu, dignosci potest.

Gastritis dolore acuto et fixo et sensu ardoris in regione ventriculi, subita et magna prostratione virium, pulsu, parvo, duro, contracto, et celeri; singultu frequente, vomitu vehe-

mente et dolente, dolore cibo sumpto, et pressurâ aucto, dignoscitur.

Pleurodynia, morbo musculos intercostales invadente, et quod curationem praecipuè refert, magis remediis externis levando, dolore pressu et motu aucto distinguitur a Pneumoniâ, partes aliquando tumidae et inflammatae sunt, aeger plerumque dolore artuum afficitur; gravis spirandi difficultas, et tussis assidua desunt.

Carditis, anxietate praecordiorum, palpitatione, syncope, cum pulsu magis abnormi, conatibus frequentibus ad respirandum cum dolore et sensu contractionis in regione inferiorum costarum innotescit.

Peripneumonia notha, aetate provectiores, et imprimis habitu pleno phlegmatico praeditos, et qui catarrho proclives fuerunt, et usui immodico liquorum fermentatorum et spirituosorum dediti sunt, frequentissime aggreditur. Symptomata febrilia sunt mitiora, et sensus

gravitatis, et oppressionis, magis quam doloris fixi adest, et sputa per totum mali decursum, quam in Pneumonia liberius prodeunt, hyeme saepius accedit et signa ejus multo mitiora catarrhum potius referunt.

PROGNOSIS.

Pyrexia vehemens, vel respiratio valdé dificilis, periculum haud lene denotant. Delirium, pulsus celer et irregularis vel intermittens, tussis frequens et sicca, nulla expectoratio, vel materia expectorata sanguine coloris nigri tincta, magna inquietudo, et anxietas, subita cessatio doloris, urina limpida et copiosa, dolor acutus, ex uno latere ad alterum lancinans, vel partem primam affectam destituens ad aliam translatus, signa infausta indicant.

Tempestiva et copiosa expectoratio viscidae et subflavae materiae, sanguine nonnihil tincta, coloris rubri floridi, sine tussi vehementi facile educta, febris quoque imminuta dys-

pnoea minùs gravis, diaphoresis copiosa et universa, eruptio erythematica in quavis parte externa aborta, urina turbida, sedimentum copiosé deponens, sanguinis fluxus e naribus vel venis haemorrhoidalibus, necnon diarrhoea, morbi terminationem felicem prognosticant.

CAUSAE EXCITANTES, ET PRAEDISPONENTES.

Aetate provectiores, ut inter annum trigesimum quintum et quinquagesimum, plerumque corripit. Habitu plethorico et robusto praeditos frequentissime invadere observatur. In regionibus borealibus, in hyeme, et imprimis vere, cùm vicissitudines caloris et frigoris sunt frequentes, grassatur.

Morbus tamen in quavis regione ubi tales mutationes occurrunt, oriatur. Omnes conatus violentes, in canendo, loquendo, vel instrumenta musica inflando, (uti fistulam utricularem,) labor protractus, respiratio vaporum mephiticorum, acidi fumi ex chemicorum of-

ficinis prodeuntes, vini et liquorum spirituosorum abusus, evacuationes solitae repressae, vel reverà ulla exercitatio quae actionem organorum pulmonum augeat pneumoniam in proclivioribus facilè accendere possunt.

Ex omnibus autem causis quae pneumoniam concitant, frigus praesertim cum humore conjunctum et corpori calefacto admotum frequentissima jure habetur, ex frigore incautè suscepto, solita excretio per cutem exprimitur, vasa extrema et cutis spiramenta constringuntur; liquores frigidi in ventriculum assumpti, podagra, rheumatismus, et hepatitis ad pulmones translata hunc morbum inferre dicuntur; catarrhus et alii morbi leviculi haud raro in pneumoniam abeunt.

Huic affectui, Adhaesiones pleurae, Tubercula, Phthisis-pulmonalis, Asthma et Hydrothorax plerumque accedunt.

Causa proxima videtur esse inflammatio sub-

stantiae pulmonum vel membranae eos vel costas obducentis.

MORBI TERMINATIONES.

Pneumonia non secus ac aliae inflammationes in resolutionem, suppurationem, gangraenam, scirrhum vel auctam duritiem substantiae pulmonum, et adhaesionem desinere potest. Sed finem habet, nimirum effusionem, et quae terminatio longe solitissima, cum morbus lethalis evadit, esse videtur effusio vel sanguinis vel seri est, vel ambo; et vel bronchia, telam cellulosam, vel saccum pleurae occupans, quae circuitum sanguinis per venas impediens, suffocationem lethalem inducit. Si resolutio sponte evenerit, morbus ferè ante diem septimum feliciter judicatur. Tempus autem quo hujusmodi solutio contingat in aliis aliud est, prout morbi vehementia et aegri constitutio ferat. Talis pneumoniae terminatio vix unquam expectanda est, nisi libera expectoratio materiae viscidae, vel sub-

flavae, sanguine tinctae. Sudor quoque ex toto corpore erumpens, morbi regressum praemonet; hoc vero si pulmones haud venaesectione levati fuerint, prognosin propitiam vix praebet. Urina sedimentum lateribus in pulverem contusis simile deponens; sanguinis fluxus e naribus vel e vasis haemorrhoidalibus, menstrua tempore alieno aborta; saepe crurum erysipelas, aut phlegmones, resolutionem confirmâsse dicuntur. Abscessus interdum pulmonum vesiculas aëriferas ita oppriment, ut suffocationem subito inferant. Morbus empyema dictus, enascitur vel pure in thoracis cavitatem effuso, vel quod haud minûs exitiosum est phthisi pulmonali, unde originem ducat.

Cum signa diagnostica inflammationis pneumonicae in gangraenam desiissent, sequentia, nimirum, expectoratio purulenta sanguine ruberrimo vel materiâ subnigrâ tincta; spiritus foetidus, strepitus gutturis, vultus demissus, oculus hebes, pulsus languidus sed celer; sanguine ex vena misso crusta inflammatoria

deest; dejectiones virides foetidae et copiosae, urina sedimentum nigrum deponens, accedere dicuntur. Crurum ulcerationes vel ex erysipelate vel oedemate exorientes, praesertim si aeger hisce malis prius obnoxius fuerit, interdum Pneumoniam insequuntur.

DE PHAENOMINIS, QUAE POST CADAVERA PNEUMONICORUM SECTA, IN CONSPECTUM VENIANT.

Cadaveribus correptorum hoc morbo sectis, pulmones maxime inflammati, et pleura costalis et pulmonalis plena vasis sanguine turgidis, reperti sunt; adhaesiones inter pleuram tegentem costas et pulmones tam validae ut nisi magna vi aliquando non possint sejungi, observantur, quod equidem etsi inflammationem lucidè denotant in plerisque cadaveribus reperitur, et viventibus saepe vix molestiam attulisse videtur. Istae pulmonum adhaesiones ad pleuram costalem adeo communes sunt, ut veteres anatomici structuram natu-

ralem existimarent, pulmonumque ligamenta vocarent. Species vero quas pulmones, cadavere resecto, exhibent, pene innumerae sunt; atque ut exemplum unius morbi tradam pleuritidis, post hujus accessum pleura sub quinque distinctissimis conditionibus se ostendit.

I. In statu naturali esse potest, morbo hactenus incipiente, levi.
II. Rubra, incrassata, opaca.
III. Lympha coagulabili obtecta.
IV. Pleurae pulmonis adhaerescens.
V. Cum inflammatione chronica, quae in hydrothoracem desiit.*

Liquor serosus in thoracis cavum effusus saepe observandus est, novae membranae speciem exhibens. Pus quoque vel quoddam puri simile saepissimè effusum reperimus in bronchiam, in substantiam cellulosam pulmonum, et cavitates pleurae. Gravitas pulmonum

* Vide RICHERAND'S Physiology.

quàm in statu sano est major, nam in vas aquâ plenum demissi fundum petunt: plerumque substantia pulmonum ruberrima observatur, et lympham vel sanguinem in parenchyma retinet, unde densiores fiunt, sub digito crepitationem solitam haud reddentes.

Vomicae vel abscessus aliquando reperiuntur, interdum praegrandes totum fere pulmonum occupantes. Pulmones post inflammationem quandoque in substantiam firmissimam similem hepati mutantur.

RATIO MEDENDI.

Ut ratio medendi rite instituatur, in auctam vasorum pulmonum et totius corporis, actionem imminuendam primum incumbere debemus; postea, vi inflammationis subactâ, expectoratio promovenda est, et tussis consopienda. Primo curandi consilio, sanguinis detractio, nuperque tartratis antimonii ad nauseam exhibitis; emplastra vesicatoria, cathar-

tica et regimen antiphlogisticum optimè conveniunt. De his pauca ordine dicenda sunt.

Praecipuum remedium in hoc morbo ex copiosis et repetitis missionibus sanguinis constat; copia sanguinis ratione symptomatum, aetatis et virium aegri, non secus ac aspectus quem sanguis induit, detrahenda est.

Praesentia tunicae coriaceae pro optimo actionis vasculorum plurimum auctae signo habetur, remissio doloris, et respiratio liberior facta inter detractionem quantitati sumendae limitem imponant, sed si nullum fiat levamen symptomatum, detractio sanguinis usque ad deliquium animi est continuanda, raro evenit ut una sanguinis detractio, utcunque ampla, morbum vincat, saepe enim dolor et spirandi difficultas, quae sanguinis missio mitigavit, pristinis viribus brevi redeunt; quod si accesserit, sanguis eâdem copiâ detrahendus est, et si res postulat, eodem die repetitur. Magna cautela et solertia, quod effusio lethalis nonnunquam inducitur, curanti opus est. Mul-

tos aegros vidi qui operationem sanguinis missionis, ante, octies vel duodecies, quam morbus superatus est, intra spatium quatuor vel quinque dierum postularunt; intra quod, ab unciis centum et viginti, ad centum et quinquaginta usque detractae sunt. Cum dubium est an plus sanguinis ex brachio detrahi debeat, ad cucurbitulas et scarificationes confugi potest, et praesertim cum reditus doloris potius quam dyspnoea, symptoma urgens evadit.

Epispastica locum proximum venaesectioni in hoc morbo occupant; nunquam sunt praescribenda antequam una vel duae venaesectiones ad minimum institutae sunt. In quibusdam lenioribus morbi exemplis, vesicantia sola, sine ulla sanguinis detractione, Pneumoniam fugarunt.

Cathartica in hac, haud secus ac in aliis inflammationibus, quae sanguinis detractione egeant, utilia reperiuntur, etsi quidam medici de iis, in Pneumonia tuto adhibendis, propter

gravem irritationem et sputa exinde repressa, dubitârunt. Et sanè diarrhaea, sub initio hujus morbi, sponte mota, raro aliquid auxilii attulit.

Cathartica leniora et refrigerantia beneficio haud carent; intestina enim ex materia acri et stimulante satis purgant, et sanguinem e capite et pectore inferiora versus avertunt. Enemata emollientia ad alvum laxam tenendam bene conveniunt.

Emetica, si vomitus morbo ineunte adsit, potu tepidorum promoveri debet. Emetica dosi ita exigua data, ut nauseam tantùm moveant, multùm ab illustri Culleno laudata; ubi autem periculum est ne vomitum concitent, ab iis omnino abstinere melius erit. Nuper quidem ex Italia promanavit curatio, quae nauseosis ejusmodi tartratis antimonii dosibus solis confidit, datur ad grani quadrantem singulis fere horis vel saepius ut nausea perpetua vires cordis nimias refringat, sanguinem aequalius distribuat; et hanc medendi rationem

haud infelicem vidi in cameris clinicis Edinensibus, sub viro doctissimo A. DUNCAN, Juniore Materiae Medicae Professore, nuper moris fuit ex scholae Italicae doctrina, hunc salem in omnibus morbis sthenicis exhibere; atque etiamsi aliis utique infirmantibus remediis cedit, medicos tamen invenisse nihil poenitebit.

EXPECTORANTIA.—Inhalatio vaporis aquae tepidae, vel aquae cum aceto permistae bonum effectum solventem praestat, et expectorationem adjuvat. Praeparato ex scilla et ammonia, haud raro beneficio medici utuntur. Potus mites et diluentes nonnihil tepidi copiose sumantur, nimirùm, decoctum hordei, et oryzae cum melle vel glycyrrhizae, &c. &c. nam sudorem promovere, irritationem et tussim minuere, sitim sedare, videntur.

BALNEUM TEPIDUM, pediluvium et semicupium, inter optima sunt adjuvantia; et fotus thoracis externi nonnunquam doloris solatium attulit.

Opiata, ineunte hoc morbo, antequam sanguinis detractio et epispastica dolorem et respirationem difficilem sublevârint, potius nocent, dyspnoeâ et signis inflammatoriis augendis.

Cùm opium, propter alvum adstrictam, exhibere ineptum putetur, Hyoscyamus aptissimè et cum summo fructu admoveri potest.

Digitalis purpurea in morbis inflammatoriis, haud sine fructu in auxilium vocatur. Dr Ferrier ita habet "Digitalis remedium praebet, ad pulsum cordis leniendum potentissimum, quo evacuationibus periculose largis medicus supersedere possit; hinc in *pleuritide*, *Peripneumonia*, omnibus inflammationibus utilis evadere debet; et Dr Currie etiam ita habet,* "Digitalis tuto commodeque usurpari potest; iis utique exemplis ubi lanceola non amplius adhiberi potest," et addit, "hoc re-

* Medical Reports.

"medium ad magnum gradum in cerebri, cor-
"dis, *pulmonum*, inflammationibus nec raro
"cum eo profeci, ubi alioquin de aegri saluti
"desperassem."

In casibus, quibus effusio reverà accidisse putatur, digitalis cum submuriate hydrargyri conjungatur, et ut modus verisimillimus augendi actionem absorbentium exhiberi potest. Cavendum autem est, ne talis sit hujus medicamenti dosis, ut vomitum cieat, qui, ut jam diximus, haud sine periculo in Pneumonia movetur.

Digitalis igitur caute admodum administranda est.

Per totum hujus mali decursum, aeger in lecto detinendus est, capite et humeris, quantum fieri potest, elevatis. Cubiculo, in quo decumbit, media temperies servanda est; vires cibo leni et nutriente sustinendae sunt, et potus tepidi diluentes, cum acidis vegetabilibus commisti, pro libitu propinandi, tonica, prae-

sertim cinchona in variis formis, simul cum cerevisia, vel vino modice sumpto nunc exhiberi possunt. Ex omni frigoris excessu diu cavendum: atque vestimenta idonea, imprimis lanea, cuti proxima, induenda; et omnis denique intemperantia fugienda.

FINIS.